

contentiosum dicitur ex eo, quod in illo contendatur, seu litigetur; atqui non contenditur in eo, donec inter partes litigantes deur contradictio, & contentio, quod fit per litem contestationem, arg. c. Ex parte 10. de V. S. Farinac. Prax. Criminal. q. 10. n. 55. in fine, ex his

233 Inferitur, posse Episcopum in irregularitate ex Homicidio Casuali, vel causa defensionis orta, & Superiorem Regularem cum suis subditis in irregularitate ex homicidio etiam directe voluntario contracta dispensare, etiam si Delinquens ratione illius jam sit judicialiter delatus, & citatus; si litem contestatio facta non est, & ceteroquin crimen adhuc non est notorium, sed occultum modo supra a num. 229. declarato.

Volunt quidem nonnulli, ut Sanchez lib. 2. Moral. cap. 11. n. 2. Layman lib. 1. tr. 3. p. 5. cap. 9. n. 5. Diana, & alii, posse Episcopum, & Regularem Superiorem, ut supra, dispensare etiam post litem contestationem, postquam nempe lis in iudicio jam finita, & Delinquens ob delictum punitus est; eod quod finis, ob quem S. Synodus prohibuit Episcopis, ne delicto ad forum contentiosum jam deducto dispensent, jam sit obtentus, ne videlicet Curie super delicto iamjam cognoscens auctoritas minueretur, & satisfactio congrua impediretur.

Verum quia, si Concilium Tridentinum Sess. 24. de Reform. cap. 6. non tantum prohibuit dispensationem, si homicidium ad forum contentiosum jam est deductum, sed etiam illud jam est notorium & publicum; Homicidium autem, de quo in foro contentioso jam cognitum, & sententia lata fuit, sit, & maneat publicum ac notorium notorietate Juris etiam, post finitum iudicium, hanc dispensandi potestatem merito negant Garcias p. 7. de Benefic. cap. 11. n. 50. Gutierrez can. q. lib. 1. cap. 3. n. 10. Barbosa loc. cit. n. 25. Calteo Palao de Censuris. disp. 6. pun. 7. n. 13. Bonacina disp. 7. q. 5. pun. 1. n. 6. pro qua opinione citatur etiam declaratio Cardinalium.

TITULUS XIII.

De Torneamentis.

SUMMARIUM.

- 1 Ratio ordinis.
- 2 Torneamenta quid?
- 3 Fieri possunt cum
- 4 Et sine periculo vite.
- 5 Priori modo sunt prohibita.
- 6 Et quidem sub pena Homicidii afflicte occidentem, & privationis sepulchri Ecclesiasticae afflicte occisum.
- 7 Posteriori autem modo sunt licita, & consueti Laicis: & n. seq.
- 9 Non item Clericis.

Ad vitanda homicidia prohibuit Ecclesia frequentiores eorum causas, cujusmodi sunt Torneamenta, duella, & ars sagittaria. De quibus proin post Titulum de Homicidio in presenti, & duobus sequentibus Rubricis recto ordine agit Juris Compilator.

2 Quæritur itaque ad propositum præsentis Rubricæ quid? quotuplicia? quibus? & sub qua pena prohibita sint Torneamenta? Resp. I. Torneamenta (Germanice Thurnier) sunt mundicie seu ferice, & hastiludia, seu pugne solennes Equitres, quibus milites, vel, uti præteritis seculis frequentius fieri solebat, Nobiles Equitres ex conditio conveni-

re & ad ostensionem virtum, animositatisque & pericie tractandorum armorum congressi solent. Ita in substantia describuntur c. 1. h. t. & notant ibidem Doctores.

Resp. II. Hujusmodi Torneamenta duplicia sunt, 3 vel potius duplici modo fieri possunt. Primum temerè, & cum ordinariè adjuncto mortis periculo, quando nempe ad invicem congregientes, hastis acutis culpidè præfixas habentibus, aliisque armis ad vulnerandum præparatis utuntur.

Secundò modo sine temeritate, & mortis periculo; dum videlicet congregientes ad invicem debitam cautelam, vel arma hebetata, hastisque sine cuspidè adhibent vel loriceis, & galeis secure ita munis comparent, ut omne periculum vitæ abiat; vel denique hastis & armis non se invicem, sed suppositas figuras petunt.

Resp. III. Quamvis Torneamenta priori modo 5 descripta veteri Jure Civili permittenda videantur; arg. l. quæ actione. 7. §. 4. ff. ad Leg. Aquil. & l. Solent. 2. ff. de Aleat. tamen Jure novo Codicis, & præcipue Jure Canonico gravissime sunt prohibita. In Jure Civili quidem l. m. C. de Gladiat. Jure Canonico c. 1. & 2. h. t. Ratio adjungitur c. 1. h. t. quia inde mores hominum, & animarum pericula sæpe proveniunt; unde etiam detestabiles ibidem vocantur.

Resp. IV. Pena in hujusmodi Torneamentis 6 pugnantium est, quod, qui in illis aliquem occidit, veri homicidii & pœnarum illius utroque Jure statutarum reus sit, prout post Hostientem in Summa. h. t. n. 3. bene observat Pirhing h. t. n. 2. Ille verò, qui occiditur, licet ei ante obitum Sacramenta Ecclesie non negentur, Ecclesiastica sepultura carere debeat, textu expresso cit. c. 1. h. t. ibi: Quod, si quis eorum ibi mortuus fuerit, quavis ei postea penitentia non impeditur, Ecclesiastica tamen caret sepultura. Intellige, si animo ibidem pugnandi accesserit; illi enim, qui ex alio etiam curiositatis fine illic existunt, & spectatores agunt, Ecclesiastica sepultura non privantur, si casu ibidem intereant, textu claro c. 2. h. t.

Resp. V. Licet etiam posterior Torneamentorum 7 modus nun. 4. delatus, olim à Clemente V. in Concilio Viennensi per Constitutionem, que incipit Passiones, sub Excommunicationis & aliis gravibus pœnis fuerint prohibita ex eo, quod Nobiles ad illa se præparantes immodicos pro splendore & apparatu fecerint sumptus, indeque à dando subsidio Terræ sanctæ inhabiles fuerint redditii, uti observat Gonzalez in cit. c. 2. h. t. n. 7. Dictam tamen Constitutionem, pœnasque in illa contentas, ad instantiam Regis Gallie, & Germanie Principum, ac Magnatum revocavit Joannes XXII. In Extravag. un. h. t.

Hinc Torneamenta, & Hastiludia posteriori modo 8 accepta, que nostris temporibus in Principum Nativitate, inauguratione, nuptiis & passim fieri solent, nec culpe, nec pœne subjacent respectu Laicorum, etsi per accidens, ac præter opinionem homicidium alicujus sequatur, ut colligitur ex textu cit. Extravag. Joannis XXII. un. h. t. & bene observat Navarrus Manual. cap. 15. n. 9. & 21. Abbas in c. 1. h. t. & ibi Barbosa n. 2. Gonzalez in c. 1. h. t. n. 6. & alii. Ratio est; quia hæc Torneamenta ex se nullum vitæ periculum adjunctum habent; & prolix per accidens est, si mors ex eis sequatur.

Dicitur tamen notanter respectu Laicorum, quia Clericis utroque modo accepta prohibita sunt Torneamenta. Gonzalez loc. cit. n. 8. & seqq. Sylvester §. Ludas, & Torneamenta. Clarus §. Ludas. Tufchus §. Ludas comel. 456. & alii, id probant ex variis

variis Consiliis; ut Heripolentis celebrato tempore Honorii IV. ubi can. 4. ita statuitur. Hastiludia, & Torneamenta Clericis, qui sunt in dignitatibus, personatibus, & sacris ordinibus constituti, hoc edicto perpetuo sibi noverint interdici. Similis prohibitio, & quidem sub anathemate facta est in Concilio Salisburgensis sub Martino IV.

TITULUS XIV.

De Clericis pugnantibus in Duello.

SUMMARIUM.

- 1 Duellum quid?
- 2 Aliud est solemne.
- 3 Aliud privatum.
- 4 Utrumque est prohibitum.
- 5 Sub gravissimis pœnis: & quibus?
- 6 Præter Duellantes, etiam alii veluti Patrini, consilium, auxilium, favorem præbentes ad illud, item permissores illud, ac Spectatores illius pœnis subjacent, & num. seq.
- 8 Bulla Clementis VIII. contra Duellantes lectu dignissima, & necessaria.
- 9 Ut Duellum indicat pœnas Juris, debet esse proprie tale, id est ex conditio deliberatè, cum designatione certi loci, & temporis.
- 10 Unde ex sibi ira progredientes, & duellantes non incurrit pœnas.
- 11 Nec qui in loco ad Duellum incepto rixam inchoantes provocant foras, & sine morali intervallo, durante calore ira statim congregantur.
- 12 Requiritur insuper, ut sit armis, & modis periculum mortis inducentibus.
- 13 Unde certamen pugnis initum non subjacet pœnis.
- 14 Et secundum Pignatelli non illud Duellum, quod ex prævia infamiatione, vel conventionione caret omni periculo vitæ: & duobus num. seqq.
- 15 Que quidem doctrina controversiam patitur.
- 16 Cui respondetur.
- 17 Et ostenditur, doctrinam illam, si probabilis est, in præci esse summe favorabilem pro militibus.
- 18 Spectatores Duelli quomodo imminet sint a pœnis?
- 19 Licitum est offerre, & acceptare Duellum pro necessaria defensione vitæ, & membrorum.
- 20 Et honorum fortuna magni momenti.
- 21 Ponitur, & solvitur obiectio.
- 22 Speculativè loquendo licitum pro necessaria defensione sume & honoris est duellare.
- 23 Præci verò loquendo ordinariè illicitum, & pœnis subjacent est.
- 24 Quia nec acceptatio Duelli, nec oblatio illius necessaria medium est pro tuenda fama, & honore: & duobus num. seqq.
- Præci cum reputatione revivendi Duellum. Ibid.
- 25 Ad evadendam notam timiditatis non licet acceptare Duellum.
- 26 Duellum offerre non est necessarium pro tuenda fama, & honore.
- 27 Nec utile, vel conducens.
- 28 Solvuntur obiectioes usque ad n. 35.
- 29 Afferitur præci, vel corruptela Germanie duellandi pro tuendo honore.
- 30 Et respondetur, quando licitum sit, & quando non: & tribus num. seqq.
- 34 Afferuntur due alie Obiectioes pro Germanie præci circa Duella, & solvuntur: & num. seq.
- 36 Ad ostendendam animositatem, vel peritiam duellandi non licet duellare.

37 Minus ex vindicta licitum est provocare ad Duellum.

38 Vel illud adhibere pro indaganda veritate, innocentia, vel justitie alicujus.

39 Ob bonum publicum, dirimendum v. g. Bellum, offerre, & acceptare licet Duellum.

40 Nisi per hoc magis redderetur dubia victoria quam per bellum ex parte Principis reverentis bellum justum.

41 Constitutiones Pontificie quoad pœnas temporales contra Duellum statutas non videntur receptæ in Germania.

42 Bene verò quoad pœnas spirituales.

43 Vulneratus in Duello caret sepultura Ecclesiastica, etsi penitens, & absolutus tam a peccatis, quam Censuris sit, si in loco Duelli, vel alibi sine morali intervallo moritur.

44 Secus, si in alio loco post unum, aut alterum diem primum moriatur.

45 De personis, que occasione Duelli subjacent pœnis, Remissive.

46 Spectatores Duelli quando sint imminet a pœnis?

47 Quis possit absolvere ab Excommunicatione ob Duellum incepta?

Ueritur I. Quid, & quotuplex sit Duellum? Resp. I. Duellum sic dictum, quali duorum bellum vel certamen in sensu hujus Rubricæ rectè definitur dicendo: Duellum est singularis pugna duorum inter se ex conditio suscepta. Ita in re Communis. Quod Duellum vocat Monomachiam vocatur, can. Monomachiam. 22. cau. 2. q. 5.

Resp. II. Duellum ita definitum principaliter dividitur in solemne, & privatum. Solemne est, quod fit servatà certà formâ, & solemnitate circa tempus & locum securitatis privilegio præditum (quod Campum francum communiter appellant) adhibitis etiam testibus, seu Patrini, quos Secundantes vocant.

Privatum est, quod quidem etiam ex conditio, statutoque tempore & loco absque aliis tamen solemnitatibus circa securitatem loci, & Patrini adhibitis fit, uti cum aliis notat Desselius ad hanc Rubricam.

Quæritur II. An, & sub quibus pœnis prohibito sit Duellum? Resp. I. Regulariter loquendo Duellum utroque modo acceptum Jure Divino & humano tam Civili, quam Ecclesiastico sub pœnis gravissimis est prohibitum. Communis & certa L. un. C. de Gladiat. can. Monomachiam. 22. c. 2. q. 5. & Concilium Tridentinum Sess. 25. de Reform. cap. 19. ibi: Detestabilis Duellorum usus fabricante diabolo introductus, ne cruciata corporum morte, animarum etiam perniciem creetur, ex Christianorum orbe penitus exterminetur. Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocunque alio nomine Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac jurisdictione, & dominio Civitatis, Castri, aut loci, in quo, vel apud quem Duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelligantur: & si Feudales sint, directis Dominis statim acquirantur. Qui verò pugnam commiserint, & qui eorum Patrini vocantur, Excommunicationis, ac omnium honorum suorum proscriptionis, ac perpetue infamie pœnam incurrant; & ut homicidæ juxta Canonem puniri debeant. Et si in conspectu accesserint, perpetuo careant sepultura Ecclesiastica. Illi autem, qui consilium in causa Duelli tam in Jure, quam facto dederint; aut alii quocunque ratione ad id quicquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis, ac perpetue maledictionis vinculo tenentur; non obstante quocunque privilegio, aut pœna, consuetudine, etiam immemoriali.

Resp. II. Poenae Duellantium Jure Ecclesiastico statuta sunt sequentes. I. Excommunicatio ipso facto incurrenda. 2. Perpetua infamia. 3. Proscriptio bonorum omnium, 4. Possunt etiam & debent puniri poenis contra homicidas latis. 5. Privatio sepulturae Ecclesiasticae decedentis in Duello; uti videre est in textu Concilii Tridentini num. praeced. allegato. 6. Duellantes etiam privati sunt Beneficium. Et 7. Inhabiles ad illa. Nec non 8. rei Crimini laesae Majestatis. 9. Et inhabiles ad concedendum Testamentum, & aliis adhuc poenis subiecti, quas videre est in Bulla Pii IV. & V. quae relativè adducuntur infra num. 8. in Bulla Clementis VIII.

6. Resp. III. Praefatas gravissimas poenas incurrunt non tantum solemniter, sed etiam locum Privatim Duellantes, si ex conditio, statuto loco & tempore congregiuntur, & quidem tam provocantes ad Duellum, quam acceptantes illud, etiam milites, & quicumque alii. Rursus Communis. Ratio est: Tum quia Jura indistinctè loquuntur. Tum quia ita expresse declarantur, & de nova statuerunt Pontificis supra citati, poenasque omnes confirmaverunt Gregorius XIII. & Clemens VIII. in Bulla infra n. 8. per extensum ponenda.

7. Resp. IV. Praeter ipsos Duellantes memoratis poenis insuper subjacent etiam Secundantes, seu Patrim, item omnes dantes consilium, auxilium, & favorem ad illud: sicut & qui ex industria sunt Spectatores Duelli. Magnas insuper poenas incurrunt Imperatores, Reges, Principes, belli Duces, & alii Superiores Duellum permittentes, prout videre est, tum in Concilio Tridentino citato: tum in Constitutione Clementis VIII. quae incipit, Illius vices, & est undecima in 3. Tomo Bularum Cherubini, digna, ut in odium Duelli, & amore animarum Christi sanguine redemptarum per extensum referatur.

Clemens Episcopus Servus Servorum DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

8. Illius vices, licet immeriti gerentes, qui ut animas suorum fidelium à peccato, & diaboli laqueis liberaret, de Calo descendens, humanam carne assumptam, ne proprio quidem suo pretiosissimo sanguini peperisset, sed se ipsum in Ara Crucis immaculatam hostiam aeterno Patri offerre voluit, in hunc praecipue curam summo studio incumbimus, ut easdem animas inaequabili pretio redemptas adversus Sathanae fraudes, quantum in nobis est, illesas praeservemus, praesertim vero totis viribus nobis à Domino traditis exterminemus exitiosa quadam, atque enormia peccata, quibus divina Majestas graviter offenditur, quaeque eodem fabricantur humani generis hoste, inventa, atque introducta sunt, ut ex cruenta corporum morte animarum etiam simul interitus, ac pernicies sequatur.

§. 1. Rectè siquidem, & salubriter fel. record. Pius Papa quartus praedecessor noster, post alios complures suos, nostrosque praedecessores, qui desolandum divini, naturalique lege, ac Sacris Canonibus damnatum Duellorum abusum, suis etiam Constitutionibus severè prohibuerant, gravesque poenas contra quoscunque temporali ditioni S. R. E. mediatè, vel immediate subiectos ejus criminis quomodolibet reos, vel participes inflixerant, cupiens non solum in terris praedictis, sed aliis ubilibet animarum periculis obviare, Principes, ac Domicellos permittentes in suis Dominis id patiari, ac etiam extra Terras, & Loca ditioni Ecclesiasticae subiecta, hujusmodi Duella, seu singularia certamina, aut diffidationes desper facientes, ac ad id invitantes, provocantes, auxilium, consilium, vel

favorem dantes, illisque assantes, & intercessentes, nec non chartas de seipso subscribentes, aut publicantes, seu de illis se inromittentes, singulos, Imperatores, ac Regibus inferiores, majoris excommunicationis, ac (si Ecclesiastica fuerint) ultra eam, etiam privationis omnium dignitatum, beneficiorum, & officiorum Ecclesiasticorum, inhabilitatisque ad illa, & alia in posterum obtinenda, poenis subiacere, eosque incurvere voluit, à quibus non nisi à Romano Pontifice absolvi possunt.

§. 2. Sed & postmodum generalis Tridentina Synodus ad exterminandum penitus ex Christiano Orbe hoc malum, statuit, ut Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quoscunque alio nomine Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac jurisdictione, & dominio Civitatis, Castris aut loci, in quo, vel apud quem Duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelligantur, & si Feudalia sint, dicitur Dominis statim acquirantur. Qui vero pugnam commiserint, & qui eorum Patrim vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptio, ac perpetua infamiae poenam incurrant, & ut homicidae, iuxta sacros Canones, puniri debent. Et, si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant Ecclesiastica sepultura. Illi etiam, qui consilium in causa Duelli tam in Jure, quam facto dederint, aut alia quacunque ratione ad id quantum susceperint, nec non spectatores, excommunicationis, & perpetua maledictionis vinculo teneantur.

§. 3. Quas poenas novissime pia mem. Gregorius Papa XIII. pariter praedecessor noster extendit adversus illos etiam omnes, qui non publicè, sed privatim ex conditio, statuto tempore, & in loco convento Monomachiam commiserint, etiam Patrim, sociisque non vocatis, & loci securitate non habitis, & provocatoris literis minime praecedentibus, etiam contra locorum Dominos, si id (quantum in se fuerit) non prohibuissent, ceterosque supra dictos criminis socios, & ex composito spectatores, etiam si pugnam ob aliquod impedimentum non commiserint, si ad locum accessissent pugnaturi, & per eos non steterint, quo minus pugnarent.

§. 4. Verum quia cum magna animi nostri molestia intelleximus adhuc in quibusdam, praesertim Transalpinis, ac remotis Regionibus, & potissimum, ubi bella vigeant, costrens quaedam, & militari licentia, seu verius audacia perniciosum hoc scelus inter Fideles exerceri, quasi fas sit in solo hostili, ubi Christiani nominis, seu Catholicae Fidei hostes tyrannidem exercent, seu haerese, & Schismata impune grassantur, si ve inter signa, & castra militaria in caput suorum fratrum impio convertere mucrones, quod multo salubrius contra Christi adversarios stringi par est. Nos nefaria diaboli arma salutaris Ecclesiae gladio ad continentos in officio fidei nobis praecipue ipsius Domini auctoritate tradito retundere, atque à cervicibus Iregis Domini curae nostrae crediti, quantum (eodem Deo adiutore) mori possimus propulsare cupientes, praedictas omnes Constitutiones, ac Decretum Concilii Tridentini cum omnibus, & singulis in eis contentis Censuris, & poenis, decretis, extensionibus, quarum, & quorum omnium tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, & ad verbum insertis, auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo approbamus, confirmamus, & innovamus.

§. 5. Ac insuper auctoritate & tenore praemissis decernimus, & declaramus, easdem Constitutiones, ac Decretum, locum habere ubique gentium, & terrarum, inter quascunque personas etiam armatas, & in Castris, seu propugnaculis militantes, etiam ubi nostrorum, & Sanctae Romanae Ecclesiae, aut Catholicae fidei hostium furor impune grassatur, in dominis per eos occupatis & detentis. Idem quoque juris censendum esse, si publico, & forsan iusto bello inditio, unies aliquis al-

seru

terum in adversariorum exercitus militante, sive aliis in hostium Castris, praesidiis, aut Terris degentem, privatis simulatis ac inimicitiae publica causa intermiscendo, etiam Ducum permisso, ex conditio ad singularia certamen descendat, aut illum provocet. Nec non isdem poenis, Decreto, & Constitutionibus teneri eos, inter quos poenitione iniata sunt de dividendo certamine, cum primum alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem fuderit, aut certus ipsum numerus utrinque illatus fuerit. Vel si convenierint, ut non singuli, sed bini, terni, aut plures hinc inde pugnent. Et non solum locorum Dominos, sed etiam Magistratus, Praesides, Locumtenentes, aut etiam militum Duces, & Capitaneos in Castris vel extra ea, in alieno vel hostili suo, vel cum militibus exercitus adversariorum Monomachiam in quocunque casu per praesentem, vel alias Constitutiones hujusmodi prohibito, permittentes, vel quantum in ipsis est non prohibentes, aut post dimissum crimen, veniam & impunitatem concedentes.

§. 6. Praeterea pari ratione prohibemus omnia, & singula ejus generis scripta, manifestata, seu fides vulgè appellata, quae etiam sine expressa provocatione ad certamen, tamen quasi preparatoria quaedam ad chartulas, seu libellos provocatorios, & ad Duellum, illorumque veluti radices aut semina, ut plurimum lacessendi aliquem ad pugnam, & suscitandè similitatis, atque inimicitiae materiam, & occasionem praebent. Deum scilicet in illis per modum Epistolae, libelli, ac publicae attestationis, & intimationis, sive per authentica documenta, sive per unius, pluriumve chirographum, subscriptiones, aut relationes sub pretestu proprii, vel alibi honoris, & fame, more militari atque ut vulgè dicitur, Cavalleresco, tuendi, aut ledendi, sive ad illate, propulsate, aut contumelias, aut injuriae probatorem seu tollendam ipsius suspicionem rei alicujus gesta ad id pertinentis, vel verborum aut responsionum series & ordo narratur, vel ex simili abusu hac de causa aliquid tale adeo firmiter asseritur, aut negatur, ut qui contradixerit is sine nominatum, sive in genere mendacii arguatur, aut mentiri dicatur. Aut ad hunc effectum ex militari etiam consuetudine queritur, declaratur, aut responderit, quàm mente, aut quosensu quippiam ejusmodi, quod ad superius expressa spectet, gestum, dictumque sit. Vel denique offerre quisquam contra certam vel incertam personam, vel generatim contra quoscunque ad probandum armis, & verisicandum etiam initio certamine, aliquid ita esse, aut fuisse, vel non fuisse. Nec non quoscunque etiam sine scripto factatatum rerum supra dicta quocummodo concertentium, & ob hujusmodi causas in locis publicis, vel privatis, ubi hominum multitudo convenire solet, denunciationes, narrationes, declarationes, & testificationes. Volentes eos omnes, & singulos, qui suo, vel alieno nomine ad effectum, de quo superius dictum est, praedicta, vel his similia, multoque magis ad certandum provocatoria scripta, libellos, epistolas, eorumque exempla dictaverint, composuerint, scripserint, misserint, detulerint, divulgaverint, affixerint, exemplaverint, typis imprepresserint, subscripserint, attestati fuerint. Quive alii ad singularia certamen publicè vel occultè invidendum vel ad provocandum aliquem ad pugnam, sive ad hujus generis scripta, quae Manifestata quaeque chartulae provocatoriae appellantur, scribenda, dictanda, mittenda, deferenda, divulganda, auxilium, consilium, operam, vel favorem praestiterint, sive id susceperint, aut mandaverint, quive in praemissis, vel eorum aliquo se quomodolibet immiscuerint, etiamsi neque pugna aliqua, vel certamen, aut effectus, nec accessus, aut actus ad pugnam proximam, neque expressa, & aperta provocatio suscipienda fuerit, neque scriptio praedicta, quae Manifestata dicuntur, in publicum prodierint, aut cuiquam intimata extiterint, si per eos non steterit, quo minus publicatio aut denuntiatio ferret. Nihilominus censu-

ris, & poenis omnibus in praesenti, & aliis praedictis Constitutionibus, & Decreto contentis subiacere, tam si superius enumeratis, quàm si aliis etiam majoribus Ecclesiasticis, vel mundanis dignitatibus, gradibus, & praeminentiis excellant.

§. 7. Quin imò de novo etiam per praesentes ex parte omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, excommunicamus, & anathematizamus, maledicimus, & execramur omnes, & quoscunque, publicè, vel privatim, palam, vel occulte, in quibuscunque locis, modis, & formis, ac casibus sub praesenti nostra, & aliis praedictis Constitutionibus, ac Decreto comprehensis, singulare certamen (quod Duellum vulgè dicitur) ex composito innotes, nec non id scelus suadentes, aut provocantes, opens, consilium, vel favorem praestantes, equos, arma, & comitatus, praebentes, aut comitantes, vel circa chartulas, seu libellos, literas, nuncios, aut quoscunque alia scripta hujusmodi quomodolibet peccantes hujusque delicti locos de industria, spectatores, patrimos, fautores, defensores, quoscunque tam superius expressa, quàm alia Ecclesiastica, vel mundana praesulgeant dignitate. Ita ut singulares etiam persone cujuslibet Communitatis, Universitatis, Collegii, aut Republicae, quae hujus criminis participes quocummodo fuerint, nequaquam excusentur, sed supra dictos omnes eorumque singulos, ipso facto absque ulla monitione, Judicis decreto, aut ministerio, perpetui anathematis, excommunicationis majoris, & maledictionis aeternae mucrone percussos, & damnatos harum serie declaramus, & si in ipso conflictu obierint, sepulturi Ecclesiastica perpetuo privatos esse volumus. Ipsas vero Civitates, Terras, Oppida, vel Castra, & loca, in quorum Territorio id facinus scientibus, & tacitis, vel expressè permittentibus, aut tolerantibus Dominis, aut Magistratibus, vel Senatu, aut Populo admittimus fuerit, Ecclesiastico supponimus interdico, cujus interdici relaxationem, aut excommunicationis absolutio-nem, ab alio quàm à nobis, & pro tempore existente Romano Pontifice penitentia, & satisfactione congruè peracta in mortis articulo constituti, nequeus obtinere, etiam praetextu quarumvis facultatum, & indulgentiarum quibusvis personis tam Ecclesiasticis cujuscunque Ordinis, aut militiae status, aut gradus aut conditionis existentibus, quàm Laicis, etiam Imperiali, Regali, vel alia mundana praeminentiis insignitis, per Sedem Apostolicam in genere, vel in specie concessorum. Quae omnia quoad praemissa, nolumus cuiquam in aliquo suffragari. Poenis aliis tam spiritualibus, quàm temporalibus contra eos inflatis, nihilominus in suo robore permansuris.

§. 8. Universos autem, & singulos charissimos in Christo Filios nostros Imperatores, Reges, & dilectos filios Nobis Duces, Viros, etiam armorum, & exercituum, Marchiones, ceterosque Principes Christianos, nec non Dominia, Potentatus, Communitates, & Universitates Civitatum, Oppidorum, & Castrorum, illorumque Domicellos, & Dominos temporales, ac etiam militem, & copiarum, tam equestrium, quàm pedestrium Duces, Tribunos, Praefectos, Capitaneos in quibuscunque etiam nobis, & S. Romanae Ecclesiae temporali jurisdictioni non subiectis locis constitutos, cujuscunque gradus, praeminentia, & nobilitatis existentes, hortamur, rogamus, & obtestamur per viscera D. N. JESU CHRISTI, ut ejus divini nominis intuitu pro sua erga eundem Deum, per quem regnant Reges, & à quo Principatus acceperunt, pietate, atque erga nos, & S. hanc Sedem reverentia, & devotione, non modo nihil tale in suis Dominis fieri permittant, nec ullo modo committant, sed hoc malum omni studio, diligentia, & auctoritate exterminare totis viribus procurent, contra quoscunque delinquentes, & ut praesertim quomodolibet complices, & participes etiam temporales poenis gravissimis animadvertant, & per suos Officiales, & Curia Ministros procedi curent, scituri, &

scituri

se obsequium Deo pergratum: perque acceptum praestituros, si quo gladio ad tutelam honorum, & ad propulsandam perditionem conatus sunt accendi, eundem ad vindictam huius peccati, & ad sumendas de huiusmodi criminis reis debitas penas exercuerint. contra vero memores, si in re tam gravi male se gesserint, se in districto Dei iudicio rationem in novissimo die reddituros.

§. 9. Volumus autem, ut presentium transumptis etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, & persona in dignitate Ecclesiastica constituta sigillo signatis, eadem prorsus fides ubique gentium & locorum adhibeatur, qua ipsis presentibus adhiberetur exhibitis, & ostensis.

§. 10. Quoque eadem presentes in Lateranen. & Principis Apostolorum de Urbe Basilicarum, & Cancellariae Apostolicae, valvis de more publicentur, affixis inibi earum exemplis per aliquem ex Curatoribus nostris, & amissis, quodque eadem publicatione eos qui in Urbe sunt, post triennium, qui vero extra eam, post quatuor menses, omnes quos concernunt, perinde ardeat, & officiat, ac si eorum culibet personaliter iniuncta fuissent.

Nulli ergo omnino Etc.
Dat. Roma in Monte Quirinali, Anno Incarn. Dom. 1592. Kalend. Sept. Pont. nostri Anno 1,

9. Resp. IV. Ad hoc tamen, ut hactenus recentissime juris penes contrahantur, requiritur verum ac proprie dictum Duellum sequentes necessario requisitas condiciones habens, videlicet 1. Ut saltem fiat ab utraque parte deliberate, & ex condictione, seu ex pacto & convenientia Duellantium. Secundum requisitum est designatio certi loci, & temporis, adeo ut si solus condicatur locus, & non tempus, vel tempus & non locus, Duellum proprie dictum non fit, ac propterea nec poenis contra Duellantes statuitur subiectum. Pignatelli Tom. 9. Consult. 88. a num. 89. id cum communi aliorum bene probans ex Constitutione Gregorii XIII. supra citata, ubi non sint contra Duellantes praefato modo statuuntur poenis, ibi: Auctoritate Apostolica statuimus primo illos, qui ex condictione statuto tempore, in loco convento Mononachiam commiserint.

10. Hinc infertur primo, illicitum quidem agi, & peccari, non tamen Duellum proprie dictum committi, consequenter nec poenis Duellantium locum esse in casu, quo quis vel ob injuriam praesenti ira exarscens, vel vindicta, & rancore erga inimicum obvium, vel alia ex causa inordinata commotus alterum ad pugnam provocat, & arreptis armis statim congregitur cum illo. Ratio est; quia haec pugna non fit ex condictione, nec statuto loco, & tempore; consequenter non est verum Duellum, sed potius rixa, & provocatio ad illam. Pignatelli loc. cit.

11. Infertur secundum, pariter non committi verum Duellum, nec poenas Duellantium contrahi ab illis, qui in loco ad pugnam minus apto, v. g. in Ecclesia, in Principis, aut Magnatis residentia, vel etiam in domo, aut domus hypocausito privato contendere, vel rixari inchoant, & unus alterum sine, vel cum determinatione certi loci, plateae v. g. vel prati provocat, dicendo v. g. Veni foras, vel exanimus, & pugnemus gladio, aut egredere mecum in plateam, vel in pratum Etc. ita tamen, ut durante calore iracundiae aut vindictae, nullo morali intervallo interveniente statim ad locum pugnae progrediatur, & dimicent. Pignatelli cit. Tom. 9. Consult. 88. n. 87. Riccius in Praxi Rer. For. Ecclesiast. Decis. 634. König h. 2. nu. 10. Ratio est; quia si provocatio, & pugna in uno continuo, ex subdito

calore procedunt, non sunt duce, sed una moraliter actio, nec videntur pugna ex condictione, & statuto tempore, consequenter nec Duellum proprie dictum, sed potius rixa.

Tertio ad Duellum proprie dictum requiritur, ut fiat, vel instituat cum periculo vitae, seu tali pugnandi modo, & armorum genere, ut Duellantibus periculum vitae imminet. Pignatelli loc. cit. nu. 92. Diana p. 3. tr. 6. Miscell. 2. resol. 1. & p. 7. tr. 11. Miscell. 2. resol. 44. n. 8. Filiucius tr. 15. cap. 5. q. 5. n. 107. & alii. Ratio est; quia Duellum sub tam gravibus poenis prohibetur ob grave periculum mortis, mutilationis, aut vulneris, indeque subsequentis ruinae animarum, uti satis colligitur ex c. 1. de Torneam. & textu Concil. Trident. Sess. 25. de Reformatione. cap. 19. ibi: Detestabilis Duellorum usus fabricante diabolo introducit, ut cruenta corporum morte animarum etiam pernicium lucratur. & c. 1. h. 2. ibi: Unde mortes hominum, & animarum pericula sepe proveniunt.

Infertur, non esse Duellum proprie dictum, & poenis subiectum, si fit provocatio ad certamen solis pugnis, virga, vel levi baculo ineundum, est mors per accidens sequatur.

13. Infertur ulterius Pignatelli loc. cit. etiam illos verum Duellum non committere, nec poenis duellantium subiacere, qui non animo offendendi, sed honoris defendendi provocant, vel provocati comparant, etiam si ex condictione, & statuto tempore, ac loco ad pugnam veniant, morali tamen cum certitudine, quod nullus eorum aliquam offensam sit passurus, conventionem, vel insinuationem mutuo desuper prius facta.

14. Verum hanc Pignatelli Opinionem alii rejiciunt, eo quod videatur esse contra expressum textum Clementis VIII. in cit. Constitutione Illius vices, ubi §. 5. expressè statuitur: Nec non isdem panis, decreto, & constitutionibus teneri eos, inter quos pactiones iniuriae sunt de dirimendo certamine, cum primum alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem effuderit, aut certus ichium numerus utrinque illatus fuerit.

15. Verum respondere potest Pignatelli, hoc textum tantum comprehendere illos, qui quidem similibus cum pactionibus animo tamen offendendi, vel saltem sine pacto vel intentione mutua de non ledendo invicem insinuat congregantur, consequenter incerti sunt, an non unus ex determinatis ictibus lethalis secuturus sit. Non vero comprehendere illos, qui de intentione invicem insinuat praecise honorem defendere, indeque aliquos ictus simulare, nullo modo autem invicem ledere volunt; de quibus solis ipse loquitur, indeque sententiam suam probabiliorum censet pro foro interno: Nam quod in foro externo etiam tales poenis duellantium subiacent, ipsemet fatetur Pignatelli loc. cit. quia foris externus iudicat secundum externa, quantumvis interne aliud intendatur: Num vero per hoc facis solvatur textus Clementis VIII. prudentiori iudicio relinquatur.

16. Ceterum si haec Pignatelli sententia revera probabilis est; prout eam ipse iudicat, imò pro probabiliori habet, in praxi multum servit, & militibus, eorumque Officialibus, & Ducibus valde favorabilis est, utpote qui non raro ad Duellum provocare, vel oblatum acceptare pro conservando suo honore necessario debent; cum (ut ajunt) alias tanquam timidi in exercitu despicierentur, vel nullam amplius partitionem haberent; his, inquam, favorabilis est, utpote qui saltem communicata mutua intentione non ledendi pro conservando honore Duellum acceptare, vel ad illud provocare possent.

17. Queritur III. An, & ex quibus causis licitum, vel saltem a poenis immune sit Duellum? Anterespon-

tionem notandum, vartis ex causis, potissimum vero ex sequentibus fieri duella. Prima pro defendenda vita. 2. Pro defendendis bonis fortunae. 3. Pro defendendo honore & fama. 4. Pro ostendenda audacia, viribus, animositate, arte duellandi &c. 5. Ex vindicta ob injuriam acceptam. 6. Ex odio & rancore. 7. Pro dirimendo bello. 8. Pro indaganda veritate, vel innocentia. De quibus singulis ponemus Conclusiones. Hinc

19. Resp. I. Pro necessaria defensione vitae, seu si mors, vel periculum illius aliter vitari non potest, licitum est acceptare duellum, imò & provocare ad illud: v. g. Si quis ab inimico, vel adversario suo, vel alio quodam ita adigeretur, vel duellum more consueto necum ini, vel illico te occidam; aut certe per alios meos brevi te occidi faciam; potest talis duellum utique acceptare, quin offerre illud, si taliter vitae periculum vitare nequit, uti vitare non posse videtur, si aut fugere non potest aut fugiens se salvare nequit, & accusatione apud Superiorem se nil efficere cognoicit &c. Magistrus Disp. 11. n. 113. Lef. lib. 2. de J. & J. cap. 9. n. 8. & n. 49. Pignatelli Tom. 9. Consult. 88. n. 36. Cum Communi. Ratio est; quia in tali casu offerre, vel acceptare duellum, nil aliud est, quam necessaria defensio vitae, quae omni Jure licita est.

20. Resp. II. Pariter licitum est acceptare duellum, vel offerre illud pro defensione rerum fortunae magni momenti, si alia via conservari aut recuperari non possunt. Castro Palao Tr. 6. disp. 5. pun. 7. num. 9. Sanchez lib. 2. Moral. disp. 39. n. 8. Lessius de Jur. & Jus. lib. 2. cap. 9. dub. 8. n. 49. Valent. 2. 2. disp. 3. q. 17. pun. 1. §. Talis autem casus. Ratio est; quia, si licet pro conservatione honorum fortunae magis momenti servato moderamine inculpate tutele occidere iniquum aggressor em per dicta, & probata Tir. XII. a n. 138. Non apparet, cur non liceat, pro eadem necessaria conservatione cum iniquo Aggressore, vel aggressionem minitante duellare; praesertim cum rationes ibidem allegatae etiam hic militent.

21. Nec refert, quod duellum offerens, vel acceptans exponat se periculo vitae, quae utique tanquam majus bonum illicitè postponitur jacturae temporalium. Nam contra est, quod talis absolutè non postponat vitam bonis fortunae, neque propter haec absolutè eligat periculum vitae, sed dubium duntaxat periculum vitae propriae tanquam minus malum eligat, ad evitandum certum periculum, vel certam jacturam bonorum temporalium magni momenti, quod etiam in multis aliis casibus licitè fieri cernimus. Palao, ubi supra.

22. Resp. III. Quamvis speculativè loquendo licitum videatur pro defendenda fama, & honore acceptare, vel etiam offerre duellum, quando videlicet fama & honor aliter defendi non potest; tamen practicè loquendo, ordinariè est illicitum, ac poenis Juris subiectum. Prima pars, videlicet, quod liceat, docetur à Castro Palao Tr. 6. disp. 5. pun. 7. n. 9. Sanchez lib. 2. Moral. Disp. 39. n. 8. Lessio, Valentia & Diana. Ratio est; vel injuria videtur prohibito ratione homicidii, vel injuriae alterius; nec ratione periculi vitae propriae, quae utpote majus bonum quam fama postponi alias non debet: ergo. Non ratione alterius; quia licitum est, servato moderamine inculpate tutele, seu, si alia via defensionis non superest, pro defensione famae & honoris occidere injustum aggressorem, juxta plurimos Doctores Tir. XII. de Homicidio a nu. 143. allegatos. Nec ratione periculi vitae propriae; quia (uti supra jam dictum) in simili casu offerens, vel acceptans duellum vitam non postponit famae, nec pro hac conservanda periculum vitae absolutè eligit, sed dubium duntaxat pericu-

lum vitae propriae, tanquam minus malum eligit, ad evitandum certam jacturam, vel saltem certum periculum famae; uti respondent Doctores citati.

Secunda pars, quod in praxi id ordinariè illicitum sit, novissime merito docet Pignatelli Tom. 9. Consult. 88. nu. 38. & in re ipsa Omnes. Ratio est; quia ordinariè loquendo, in praxi acceptio, vel oblatio duelli vel non est necessarium, vel non est quadrans medium defendendi famam & honorem; quod tamen utrumque requiritur, ut sit licitum; cum Doctores communiter fateantur, illicitum esse offerre, vel acceptare duellum pro defendenda fama, quando ad hunc finem vel non servit, vel si serviret quidem, tamen necessarium non est, existentibus ad manum alius justis, & licitis mediis pro eodem fine sufficientibus.

Et quidem, quod ordinariè loquendo in praxi necessarium non sit pro tuenda fama & honore acceptare duellum oblatum, patet: Tum quia recusandum illud, ordinariè nullus aliquam jacturam in fama & honore, nec dedecus patitur, etli, ut fieri solet, his aut similibus verbis provocetur: Si es honestus vir, vel si egregius aut cordatus miles, vel genuinus Nobilitas es: vel si non es talis vel talis Etc. pugna necum gladio, aut globo; vel tam diu es talis Etc. vel habebat te pro tali Etc. donec necum duellum ineam Etc. Quia huiusmodi verba, & injuriae famam, & honorem honesti viri vel non laedunt, vel, si laedere videntur, facile averti possunt alia via, respondendo v. g. Sum Ego manebo honestus vir, nobilitas Etc. etsi nullam tamen committam duellum; quod recusis, non quia te timeo, sed quia illud Jure divino & humano prohibitum scio: quod autem te non timeam, sed cordatus existam, in opere ostendam, quando tu, vel alius me, ubique tandem aggredi tentaveris: vel, injurias, quasi nisi duellum acceptem, mihi irrogas, vel irrogatas vis, rideo, quia eas mihi minime praesudicare scio: idem enim est ac si dicis: si es honestus, cordatus vir, nobilitas, egregius miles Etc. vade mecum ad rapinam, ad furandum, ad adulterandum, vel habebat te pro tali, & talis; vel eris talis, nisi mecum ad rapinam, furandum, & fornicandum venias: ac si dicas, nisi mecum duellum ineam; cum illud aequè ac illud divino & humano Jure sit prohibitum: Cujusmodi responsiones à multis illustribus, & Militaribus magna cum gloria eorundem date sunt.

Confirmatur: si esset necessarium acceptare duellum, pro tuenda fama & honore, idè potissimum esset, ne recusans praesertim Equestris, Nobilitas, vel Miles contrahat notam viri timidi, aut minus magnanimi, vel cordati, atqui ex hac causa non licet acceptare duellum; cum Alexander VII. inter alias etiam sequentem Propositionem damnarit: Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. Accedit, quod, uti ex dictis patet, talis recusans apud vulgares duntaxat, quorum aestimatio, vel vituperium non curandum, minime verò apud bonos & prudentes contrahat timiditatis notam, & haec etiam apud vulgares facile avertere possit respondendo, ut supra.

23. Probatur nunc etiam, quod ordinariè loquendo necessarium non sit pro tuenda fama & honore offerre duellum; quia si hoc necessarium esset, potissimum esset ob injuriam ab altero acceptam; cum alia causa vix excogitari valeat; atqui propterea necessarium non est: Tum quia ordinariè loquendo alia via fieri potest injuriae reparatio; videlicet vel legitima accusatione apud Iudicem, ad quem finem conceditur in Jure actio injuriarum §. in summa. §. Instit. de Injur. vel per medium reformationis, quo diluitur omnis macula ex verbis injuriosis illa.

- illata; quod medium ipso Jure conceditur l. Qui cum major. 14. §. Si libertas. G. ff. de Bon. libert. & l. Que omnia, de Procurat. & datur etiam contra absentem, cum sufficienter adhibeatur, si fit, quamprimum fieri potest, arg. l. 2. §. consilium autem. ff. ad S. C. Tertul. Et l. Annus ff. de Calum. cum Concordantiis. Accedit, quod propria autoritate privata sumere vindictam, medium illicitum fit juxta dicenda infra n. 37.
- 27 Probatur ulterius, quod nec quadrans seu utile medium sit pro tuenda fama & honore, offerre, vel acceptare duellum. Tam offerens, quam acceptans duellum contrahit maculam perpetue infamie, juxta Constitutiones Pontificias, & Concilium Tridentinum Sess. 25. de Reform. cap. 19. ergo non pro tuenda, sed peragenda fama servit.
- 28 Dices: Constitutiones Pontificie quoad penam infamie in his partibus non sunt recepte; ergo pro tuenda fama licite servire poterit duellum. Resp. transmissa antecedente, negando consequentiam; qui, etsi dato non concessio, duellum pro tuenda fama utile esset, tamen non necessarium, consequenter nec licitum foret, cum juxta dicta a n. 24. ordinari loquendo semper alia media eandem tuendi adessent.
- 29 Instabis: Dantur plures casus, in quibus pro tuenda fama & honore oblatio, & acceptatio Duelli absolute necessaria est; ergo saltem in his casibus licitum erit illud offerre, vel acceptare. Probatur antecessens frequenti praxi Germanie, ubi, uti referunt, fit inter Milites, vel militares Officiales, aut belli Duces unus alterum verbis injuriosis afficit, vel facto injuriam infert, & Offensus Offendentem ad Duellum non provocaret, talis ab aliis adeo despectus & abjectus haberetur, ut nullus cum eo amplius militaret, nec aliquis miles eidem, si Officialis esset, amplius pareret, etiam si Offensus alia via satisfactionem pro injuria habere posset. Idem fieret, parique cum despectu, & objectionis effectu haberetur, si quis ab alio ex quacunque causa ad Duellum provocatus non compareret, ipsis primariis belli ducibus, in his casibus non tantum non punientibus, sed etiam concedentibus, imò ut fiat Duellum, urgentibus etiam privatione Officii militaris.
- Ad hanc instantiam responderetur, credibile non esse, rem se ita habere, uti casus referuntur: Si tamen pessima hec praxis seu corruptela in aliqua Regione revera existeret; Respondetur, gravissimè in primis peccare Reges, & Principes, atque belli Duces, qui, dum possunt, similem praxin, vel etiam privata hujusmodi Duella tolerant, & multò magis quod justè concedunt, vel, ut fiant, urgent, juxta dicta n. 7.
- 30 Illos verò, qui in hujusmodi casibus ad Duellum offerendum, vel acceptandum ita necessitantur, & coarctantur, ut nisi offerant, vel acceptent, tanquam formidolosi, timidi, abjecti, & ad Officia militaria inepti haberentur, indeque Officio, quo actu fruuntur, seque, & suos sustentant, privarentur, vel promotionis, aliàs sibi debite, ac promerite spe perpetuò carere deberent; illos, inquam, in hujusmodi casu & culpa, & pena vacare, sive offerant, sive acceptent Duellum. Ratio est, quia in tali casu, uti supponitur, acceptatio & oblatio Duelli est absolute necessaria, sicque justa & licita defensio fame, vel bonorum fortune, & æquivalenter etiam vite (juxta dicta n. 43.) contra iniquum aggressorem, puta injuriā efficientem; consequenter ad oblationem Duelli necessitantem, vel ad Duellum provocantem, adeoque verbis aggressorem &c. Hinc sicut pro necessaria defensione fame, bonorum fortune magni momenti, licitum est cum moderamine inculpate tutelæ iniquum aggressorem occidere, ita etiam licet Duellum offerre, & acceptare, in eoque alterum occidere.
- Nec refert, quòd in Duello quis se ipsum exponat mortis periculo; quia ad hoc jam patet ex dictis supra n. 21. Et 22.
- Nec videtur hæc doctrina coincidere cum propositione damnata ab Alexandro VII. sequentis tenoris: Vir equestris ad Duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurvat. Quia aliud est, acceptare Duellum præcisè ad evitandam timiditatis notam, quòd illicitum, & meritò condemnatum est; cum hæc nota ordinariè non nisi apud vulgares incurrat, & apud hoc etiam facile evitari possit aliquò ex supra dictis responsionibus n. 24. Aliud verò est, illud acceptare ad evitandam timiditatis notam ita circumstantiam, ut nisi Duellum acceptetur, vel offeratur, gravissima jactura temporalis in Officio, Dignitate, honore, & bonis fortune &c. certò sequatur, uti in casibus nostris n. 29. positus, in quibus proin planè extraordinariis casibus Duellum offerri, & acceptari posse, diximus. Et idè in Conclusione n. 22. posità notanter diximus ordinariè loquendo, non esse licitum offerre, vel acceptare Duellum. Sed
- Urgebis contra hanc ipsam Conclusionis n. 23. positam partem: Vi statutorum Ordinis equestris S. Jacobi indagatur de Candidato, an provocatus ad Duellum acceptavit illud, & recusasse compertus, tanquam ignavus & timidus ad Ordinem non admittitur; ergo etiam ordinariè loquendo, licitum erit acceptare Duellum, cum aliàs dicti Ordinis statuta acceptationem Duelli requirement non fuissent approbata à Regibus Catholicis. Resp. Vigore allegatorum statutorum non requiritur acceptationem Duelli oblati, sed tantum indagari, quomodo in casu oblati Duelli se habuerit Candidatus; ad hoc, ut si constet, eum ex ignavia & metu illud recusasse, vel declinasse, rejiciatur; recipiatur verò, si ex timore Dei, legis divine, & humane allegatione, aliove simili modo & responso supra n. 24. adducto illud recusavit. Mendo de Jure Academico, l. 3. q. 29. Appendice de Duello. §. 2. v. Secundum.
- Instabis: Vir nobilis potest pro conservanda vita, & membris iniquum aggressorem occidere, etiam si fugiendo possit salvare vitam; quia fuga eidem multum ignominiosa esset; ergo etiam pro tuenda fama & honore ordinariè licet acceptare Duellum; cum recusatio illius viro nobili æque videatur ignominiosa, fameque, & honori præjudiciosa, ac si iniquum aggressorem fugiat. Resp. negando consequentiam & paritatem. Disparitas est: Tum quia, qui ad Duellum provocatur, aggressionem actualem in corpore nondum patitur: Tum quia per acceptationem Duelli fama, & honor ordinariè loquendo, non salvatur, sed perditur juxta dicta: Tum quia in casu oblati Duelli alix vite, & media ad manum sunt salvandi fama, & honorem per dicta n. 25. Ceterum fatemur, quòd sicut vir Nobilis, vel equestris ad evitandam ignominiam possit pro salvanda vita, & membris iniquum aggressorem occidere, etsi fugiendo salvare vitam valeret; ita etiam ad Duellum provocatus, & insuper actualem, vel jam iam imminentem aggressorem patiens se defendere, & aggressorem occidere queat, etsi fugiendo salvare se potuisset.
- Resp. III. Ad solam ostendendam animositate, & vires, vel peritiam duellandi, aut digladiandi neutiquam licet offerre, vel acceptare Duellum. Valentia 2.2. Disp. 3. q. 17. p. 1. can. 5. n. 6. Azorius lib. 2. cap. 5. q. 4. cum communi, & certa aliorum, arg. c. 1. de Torneament. ubi id expresse rejicitur: ibi: Ad ostentationem virum statum, & audacia &c. Ratio est; quia atique iniquum, & rectè rationi graviter adversum est,

- est, pro tam vano sine medium tam atrox, & graviter periculolum, omnique Jure prohibendum affirmere.
- 37 Resp. IV. Pariter omnino illicitum, potiusque subiectum est, offerre Duellum ex vindicta ob acceptam ab alio injuriam, vel ut per illud injuria tollatur, & satisfactio, uti vocant, ab injuriante præstetur. Rursus communis ac certa. Ratio est; Tum quia non licet sumere vindictam autoritate privata juxta illud Scripturæ: Mibi vindicta, & ego retribuam. Et l. Nullus. 14. C. de Judicis: Tum quia Duellum ob eventus incertitudinem non est medium proportionatum ad reparandum injuriam.
- Limitatur tamen Conclusio in casibus extraordinariis, in quibus oblatio Duelli absolute est necessaria ad evitandum grave præjudicium fame & honoris &c. Juxta dicta n. 31.
- 38 Resp. V. Ulterius illicitum est, offerre vel acceptare Duellum tanquam medium indagandi veritatem, innocentiam, vel justitiam alterutrius partis. D. Thomas 2. 2. q. 91. a. 8. ad 3. Sanchez lib. 2. Moral. cap. 39. n. 3. eoque telte, omnes, arg. can. Monomachiam. 22. can. 2. q. 6. c. 1. Et 2. de Purgat. Vulg. Ratio est; quia superfluum, & periculolum, ac omnino improportionatum est medium indagandi, seu demonstrandi unius innocentiam, veritatem, vel justitiam, cum Dens innocenti, justo, vel veraci nullibi promiserit victoriam contra injustum, sed casus secundas ordinariè sinat motus suos agere, indeque facile eveniat, quòd fortior, vel usi armorum exercitator vincat, etsi causam malam foveat.
- 39 Resp. VI. Licitum est acceptare, vel offerre Duellum ob bonum publicum, ad dirimendum, v. g. bellum, finiendaque belli calamitates, ad decidendam controversiam Principum, & obtinendam pacem, adeò ut ad dictum finem aut duo belli Duces, aut duo milites, aut certus numerus ex utroque hostili exercitu verum Duellum intrare valeant. Navarvus in Summ. cap. 11. n. 39. Zoellus h. 1. num. 6. Sanchez lib. 2. Moral. cap. 19. nu. 15. Pignatelli Tom. 9. Consult. 88. n. 48. cum communi aliorum. Ratio est; quia tali Duello evitantur plurimæ cades, & gravissima damna ex utraque parte. Et ob hanc causam Edwardus III. Rex Angliæ & Franciæ ad Duellum provocavit Philippum VI. Valesium, Franciscus Gallie Rex Carolum V. Imperatorem, Carolus Rex Sæcicie Christianum Regem Daniæ, Carolus Ludovicus Elector ad Rhenanum Comitum Turenium.
- 40 Notant tamen bene Doctores, Principem justè bellantem nec offerre, nec acceptare posse Duellum, si per illud spes victoriæ redderetur magis dubia, quam per bellum; quia in tali casu graviter præjudicaret suæ Reipublice. Secus foret, si advertens, se ad resistendum imparè, vel certè quasi nullam pro se superesse spem victoriæ bello obtinende; tunc enim & offerre, & acceptare potest Duellum hujusmodi pro terminando bello, vel decidenda controversia. Doctores citati.
- 41 Queritur IV. An omnes pœnæ in Concilio Tridentino, & Constitutionibus Pontificis supra allegatis contra Duellantes statuta locum habeant in Germania? Resp. Quamvis allegata Jura de se loquendo obligent universum Orbem Christianum, tamen quoad pœnas temporales, puta, perpetue infamie, proscriptionis, privationis jurisdictionis &c. in pleno rigore usi non videntur recepte in Germania, & partibus Septentrionalibus. Layman l. 3. tr. 3. par. 3. cap. 5. num. 4. quem secuti sunt Pirhing h. 1. num. 3. König eod. num. 19. Gobath, & alii id probantes multiplici experientia & praxi; quæ patet, Duellantes in his partibus Reipublici Jus Can. Tom. V.
- dictas pœnas non sustinere.
- Dicitur autem notanter quoad pœnas temporales; 42 quia quoad pœnas spirituales, puta, excommunicationis, privationis sepulture, beneficiorum, item inhabilitatis ad illa &c. etiam in Germania esse receptas dictas Constitutiones, non est, qui dubitet, nisi quòd Doctores præfati dicant, aliquos ob defectum ignorantie excludari à Censura; quod pro Foro interno, non item externo admittunt.
- Queritur V. Num vulneratus in Duello si ante 43 mortem signa penitentiae dedit, & tam à peccatis, quam Censuris fuit absolutus in loco sacro sepeliri valeat? Resp. I. Si vulneratus in ipso loco Duelli, vel in alio quidem loco, sed tamen paulò post, eodem adhuc die sicque sine vero sufficienti intervallo moritur, caret sepultura Ecclesiastica, etsi penitens, & à Censuris absolutus decedat. Sanchez Sels. disp. 36. num. 9. Pignatelli Consult. 88. num. 66. Lezana v. Duellum num. 14. Diana p. 4. tr. 4. Resolut. 92. König h. 1. num. 20. cum communiori aliorum. Ratio est: Tum quia Jura universaliter privant decedentes in Duello, sine distinctione inter decedentes cum, vel sine penitentia: Tum quia ita expresse præcipit Rituale Romanum jussu Pauli V. editum, in Rubrica de Exequiis in hæc verba: Negatur Ecclesiastica sepultura morientibus in Duello, etiam si ante obitum dederint signa penitentiae: Tum quia penitentia & absolutio à Censuris ac peccatis non faciunt, quin adhuc verè dicantur decedere in duello, consequenter pœnis contra hos statuis subiacere. Confirmatur à simili in decedentibus in Torneamentis, vel in ludo agitationis taurorum, qui carent sepultura sacra, etsi penitentes moriantur, uti expresse habetur, c. 1. de Torneamentis, & in Constitut. Pii V. de Salute. Ergo idem dicendum de decedentibus in duello.
- Resp. II. Si vulneratus in duello moritur primò 44 post notabile intervallum v. g. post unum vel alterum diem, sepultura facta non caret. Diana p. 11. tr. 6. Resolut. 26. v. duellum. n. 14. Caraffa de duello tr. 2. sect. 3. q. 19. n. 9. König loc. cit. Portell. & alii. Ratio est; quia licet talis decedat ex duello, non tamen in ipso duello, seu conflictu, quod tamen ad incurrendam dictam pœnam diserte requiritur videtur tam in Concilio Tridentino, quam à Clemente VIII.
- Queritur VI. Quenam personæ præter duellantes 45 ter subiaceant pœnis? & quibus? Resp. ad hoc jam constare ex dictis supra n. 7.
- Specialiter tamen notandum circa Spectatores, 46 videlicet, quòd illi, qui vel animo duellantes à pugna impediendi, eos comitantur, & spectant, vel qui subito ad locum duelli veniunt ibique etiam curiosi expectantes manent; vel qui à fœnebris januisque ædium congregantes spectant, excommunicationis, & alias pœnis contra Spectatores latis non incurrant. Sanchez lib. 2. Moral. cap. 39. n. 3. Mendo in Appendice de duello. n. 312. Ratio est; quia Constitutio Pontificia loquitur de spectantibus ex proposito, sive datà operà, & quasi approbantibus duellum.
- Queritur VII. Quis possit absolvere ab Excommuni- 47 catione ob duellum incursum? Resp. Quamvis Excommunicatione ob duellum incurra per Constitutionem Clementis VIII. sit reservata Summo Pontifici tamen ab illa vi privilegiorum absolvere possunt Medicantes, tam duellantes, quam Fautores & Spectatores eorum, ut bene observant Layman lib. 3. tr. 3. p. 3. cap. 5. n. 4. Pirhing h. 1. n. 3. & alii, eò quòd etiam à Censuris Sedi Apostolicæ reservatis absolvere valeant.

Qui plura de duellis desiderat, legat Pignatelli Tom. 9. Consult. 38. ubi materiam de duellis practice, & theoretice peregre tractat.

TITULUS XV.

De Sagittariis.

SUMMARIUM.

1 Sagittariorum, & Balistariorum nomine qui veniant. 2 Qualiter, & contra quos prohibita si ars exercitum Sagittariorum, & Balistariorum?

Quæritur quid ad propositum intelligatur per Sagittarios? & quid statuatur de illis per Jura? Resp. I. Sagittariorum, & Balistariorum nomine veniunt, qui vel in jaculandis sagittis, aut saxis arcibus & Balistis (quorum usus olim frequens erat) vel (ut hodie usus est) in emittendis glandinibus, & majoris ponderis globis plumbis, ex Tormentis bellicis peritiam habent, ut cum aliis notat Gonzalez in c. m. h. t. n. 3.

2 Resp. II. Quamvis c. un. h. t. artem Sagittariorum, seu Balistariorum contra Catholicos exercere universim videatur prohibita, tamen probabiliter, vel prohiberi hinc duntaxat artem hanc exercere pro infidelibus aut Hæreticis contra Catholicos conformiter c. ita quorundam G. Eccl. Quod olim. 12. de Judæis: & Extravag. 1. eod. vel prohiberi eandem etiam pro Catholicis contra Catholicos in bello injusto, uti post Glossam in cit. c. un. h. t. y. Artem. ibidem bene docent Barbosa, Honorius, & alii: Ex illa ratione, quod nil referat ad justitiam, utrum justum bellum contra quemcumque gerens, aperte pugnet, an ex insidiis, can. Dominus 2. cau. 23. quest. 2. ibi: Cum autem justum bellum susceperit, utrum aperta pugna, utrum insidiis veniat, nihil ad justitiam refert. Dummodò Sagittarii, vel Balistarii in exercitu non adhibeant incantationes, superstitiones vel alias diabolicas artes ad certius, vel fortius, aut longius nocendum hosti &c. quod præcipue prohiberi putat Barbosa h. t. n. 2.

TITULUS XVI.

De Adulteris, & Stupro.

1 Ratio Ordinis. 2 Post Crimina quinto præcepto Decalogi adversa, diversa videlicet homicidia, & alia, quibus vita, & corpus proximi læditur, Compiler Canonum recto ordine pergit ad delicta sexto præcepto contraria, quibus pudicitia læditur. Et quamvis Rubrica de duobus solummodò speciebus, Adulterio videlicet, & Stupro sonet; tamen occasione eorundem meritò etiam de aliis speciebus delictorum carnis, Fornicatione videlicet, Incestu, Sacrilegio, Rapta, & vicio contra naturam, seu Sodomitico agit.

§. I.

De Adulteris.

SUMMARIUM.

1 Adulterium improprie, & proprie dictum quid?

- 3 Aliud est simplex. 4 Aliud duplex. 5 Copula carnalis cum alterius sponsa de presenti Adulterium est. 6 Non item cum sponsa de futuro. 7 Solvitur Obiectio. 8 In lege divina antiqua Adulterium sub pena mortis, & quidem lapidationis suis prohibitum. 9 De Jure Canonico pena Adulteri Laici in Adulterio persistentis. I. Est excommunicatio. 10 II. Pena femine adultera est detrusio in arctum Monasterium. 11 III. Pena est divorcium. 12 IV. Amissio dotis, & donationis propter nuptias, Clerici adulteri pena que? It duobus mun. seqq. 13 De Jure Civili pena Adulteri etiam est mors. 14 Que tamen pena in plerisque Provinciis ob Adulterium prima vice non est in usu, sed alia? & que? Principes Adultera non punientes peccant. 15 Adulterium conjugati cum soluta de Jure Civili non subiacet pena ordinaria: & quare? 16 De Jure Civili pena Adulteri etiam est mors. 17 Que tamen pena in plerisque Provinciis ob Adulterium prima vice non est in usu, sed alia? & que? Principes Adultera non punientes peccant. 18 Adulterium conjugati cum soluta de Jure Civili non subiacet pena ordinaria: & quare? 19 Pena Adulteri de Jure Bavavico. 20 Olim pater impure occidere poterat Adulterum cum filia in actu deprehensa. 21 Sicut Maritus Adulterum vitis conditionis cum uxore in actu deprehensum. 22 Hodie tamen nihil horum licet. 23 Adulteri penas non incurrit, qui illud vel non scienter. 24 Vel non actualiter committit. 25 Adulterium uxoris ante omnes Criminaliter accusare potest maritus. 26 Est post ipsum pater Adultera, & alii conjuncti. 27 His deficientibus etiam quivis contraneus, dummodo mas, & major 25. annis sit. 28 Civiliter quoad dotem & divorcium uxoris etiam accusare potest virum Adulterum; non item Criminaliter, loquendo de Jure Civili. 29 Secus est de Jure Canonico. 30 Quamvis de criminibus requiratur plena probatio; tamen in Adulterio sufficit habita probatio per præsumptiones. 31 Violentia. 32 Enumerantur similes præsumptiones violentæ usque ad num. 38. 33 Quando contra Adulterium agitur Civiliter ad divorcium seu separationem quoad cohabitationem & thorum, solus Ecclesiasticus est Judex. 34 Qui etiam de causa Dotis, & Donationis propter nuptias, atque alimentorum, si in causam Adulteri principaliter agitata indicat, judicare potest. 35 Si contra Adulterium agitur Criminaliter ad penam sanguinis, solus Laicus Judex est. 36 Si ad aliquam penam Criminaliter agitur; mixti Fori est. Episcopus circa cuncta scelera Judex est. Ibid.

Quæritur I. Quid, & quotuplex sit Adulterium? Resp. I. Quamvis Adulterium large loquendo sit omnis copula extra statum Conjugii habita, can. Nemo. 5. cau. 32. q. 4. ac propterea ibidem, sicut & à Lege Julia Adulterium, & Stuprum promiscue sumantur l. Inter stuprum 105. ff. de V. S. cum Concordantiis. Tamen proprie, & ad propositum loquendo Adulterium est alieni thori violentio, ut dicitur can. Lexilla 2. cau. 36. q. 1. seu est carnalis ad alteram personam vi conjugii non suam accessio, & conjunctio, quæ fides & thorus conjugalis violatur.

Resp.

Resp. II. Adulterium proprie dictum dividitur in simplex, & duplex. Simplex est, & dicitur, non solum, quando solutus cum conjugata, sed etiam quando conjugatus cum soluta carnaliter miscetur, cau. cum ergo. post can. Illa. 14. cau. 32. q. 5. & can. Puto. 16. ead. cau. & q. can. Non mechaberis. cau. 32. q. 6. Ratio est; quia vir requæ ac uxor ad fidem conjugalem astringitur can. Nemo. cau. 32. q. 4. indeque vir meretrici adherens non minus fidem & thorum conjugalem violat, ac uxor peccans cum non suo; quamvis Jus Civile aliud velit, & quoad penas illius etiamnum servandum sit, per dicens infra num. 18.

4 Adulterium duplex, seu duplicatum, & bilaterale, est, quando maritus cum uxore aliena carnaliter miscetur: quod germanice ein doppelter Ehebruch vocatur, sicuti simplex ein einfacher.

5 Resp. III. Adulterium quoque est commixtio carnalis viri cum sponsa aliena de presenti, non item cum sponsa de futuro. Prima pars communis est & certa ob rationem; quod sponsa de presenti etiam ante Matrimonium conlumationem sit vera uxor; cum nuptias non concubitus, sed consensus faciat, l. Nuptias. 30. ff. de Reg. Jur.

6 Secundam partem tenet Clarus y. Adulterium n. 9. Zoelius in Comment. ff. ad Leg. Jul. de Adult. Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 2. n. 8. Covarruvias p. 1. de Spons. cap. 1. n. 8. cum Communiori contra Glossam in c. Quenamodum. 25. y. Sponsam. de Jur. Jur. Abbatem in c. discretionem. de eo. qui cognovit. Ratio est; quia Adulterium est violatio Thori alieni conjugalis; at verò per copulam cum sponsa de futuro non violatur Thorus alterius, hoc ipso, quod ante Matrimonium de presenti contractum sponsus non habeat jus ad Thorum sponsæ. Accedit Juris decilio l. Inter. 6. §. 1. ff. ad Leg. Jul. de Adult. ubi expressè dicitur: Proprie Adulterium in nupta committitur. Nupta autem nondum est sponsa de futuro, ergo.

7 Nec obstat l. furor. 13. §. divi. ff. eod. ubi habetur: Etiam in sponso hoc idem vindicandum, quia nec spem Matrimonii violare permittitur, cum Concordantiis. Resp. enim, in præfatis, & similibus locis verba esse intelligenda de Adulterio non proprie, sed large accepto: ob quod tamen, quia vera injuria illata est sponso jus ad sponsam ob præcedentia sponsalia habenti, datur eidem vera actio, l. Etiam 15. §. Sponsam quoque ff. de Injuris.

8 Quæritur II. Qualiter, & sub quibus penis prohibita sit Adulterium? Resp. I. Adulterium tanquam gravissimum crimen, & peccatum mortale Jure Divino & humano, eoque tam Civili, quam Ecclesiastico gravissimè, gravissimisque penis est prohibita. Nam Jure divino veteris Testamenti pena Adulteri fuit mors: uti patet ex Levit. cap. 20. v. 10. ibi: Si mechatus quis fuerit cum uxore alterius, & Adulterium perpetraverit cum uxore proximi sui, morte moriantur & Maritus, & Adultera: idem habetur Deuteron. cap. 22. v. 22. ibi: Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque morietur, id est, tam adulter, quam adultera; & auferes malum de Israel: Et quidem per lapidationem, prout constat Joan. cap. 8. v. 5.

9 Resp. II. Jure humano Ecclesiastico diversæ penis sunt statutz contra Adulterantes. Et quidem I. Laicorum in Adulterio persistentium pena est excommunicatio non tamen læta, sed ferenda sententia, c. Intelleximus. 6. h. t. & ibi Doctores.

10 II. Pena femine adultera est detrusio in arctum Monasterium ad agendas ibi penitentiam perpetuam, si maritus eam amplius recipere non vult, c. Gaudeamus. 19. de Convers. conjug. quæ tamen Resistentiel Jus Can. Tom. V.

men pena hodie non amplius est in usu, & relinquuntur Laici criminaliter, & publicè puniendi Curia seculari.

III. Civilis tamen, & privata Adulteriorum pena est divorcium, seu separatio à thoro & cohabitatione, de qua latè egimus Lib. IV. Tit. XIX. de Divortis. §. III. ubi vide.

IV. Pena est amissio Dotis in Adultera, & 12 amissio donationis propter nuptias in Adultera, de qua pena etiam latè egimus cit. Lib. IV. Tit. XX. §. III. à num. 95. ubi vide.

Clericorum adulterorum pena est, quod si quis 13 de crimine Adulteri confessus, vel convictus fuerit, ab Officio & Beneficio deponendus sit, & inseritur in Monasterium ad agendas penitentiam detrudendus, can. Si quis. 20. dist. 81. ibi: Si quis Clericus adulterasse, aut confessus, aut convictus fuerit, depositus ab Officio in Monasterium toto vite sue tempore detrudatur. Concordat can. Romanus. 11. ead. dist. ibi: Depositus à Clericatus ordine.

Quod si verò nec confessus, nec convictus, 14 sed tantum suspectus & diffamatus sit de Adulterio, purgatio Canonica ei indicenda est, qua si deficiat, ab Officio suspenditur, arg. c. Significasti. 5. h. t. & ibi Doctores, atque Fatnac. praxi Criminal. p. 5. q. 40.

Notat insuper Molina loc. cit. Clarus v. Adulter. 15 rium. n. 7. Covarruvias in 4. p. 2. cap. 7. n. 19. Quod si Clericus non accusetur de Adulterio, aliquid de rigore remittere possit.

Resp. III. Jure Civili primitus statuta erat 16 na deportationis vel exilii, l. Si quis. 5. ff. de Questio. postea verò per Constantinum conformiter legi Divinz supra num. 8. citate, in Adultero decreta fuit pena gladii, l. Quamvis. 30. §. 1. C. ad Leg. Jul. de Adult. quam penam in foeminas & viros, sive simplex, sive duplex verum Adulterium committentes indistinctè confirmavit Carolus V. in Constitut. penal. art. 102.

Notant tamen Doctores, & docet experientia 17 hic penam mortis ob Adulterium simplex, imò etiam duplicatum saltem prima vice in plerisque Provinciis non amplius infligi, sed loco illius Adulteros prima vice puniri vel relegatione, seu exilio, vel fustigatione, vel statione ante fores templi cum candela accensa per aliquos dies Festivos, in quibus est major concursus populi, vel pena pecuniaria, vel alia arbitraria. Clarus §. Adulterium. n. 7. ubi ad finem docet, quod Adultera his temporibus debite non puniantur; & addit: Ego semper fui in hac sententia, quod Principes hujus temporis, qui hoc gravissimum crimen severissimis legibus non coercent, illasque exequi non faciunt, gravissimè peccant. Et judicio meo iste est unus ex castibus, in quibus Christiana Respublica indiget reformatione. Hec Clarus & merito.

Notandum insuper tamen, quod, etsi de Jure 18 Civili juxta dicta n. 3. etiam Adulterium sit, si conjugatus cum soluta carnaliter commiscetur; tamen hæc carnalis commixtio ordinariæ penæ Adulteri à Jure Civili statutz non subiacet; eò quod, licet Jus Civile subiaceat correctioni Juris Canonici declarantis etiam copulam carnalem conjugati cum soluta esse Adulterium contra tenorem l. Inter Liberas. 6. §. 1. ad Leg. Jul. de Adult. tamen eidem Juri quoad penas non præjudicat. Cæterum cur Jus Civile Adulterium conjugati cum soluta pro Adultero minus proprio habeat, indeque minus puniat; Ratio est; quia hoc Jus in Adulterio principaliter respicit, & punit feminis commixtionem, & inde subsequentem prolis legitimi hæreditatis incertitudinem, dum præter virum legitimum alienus live conjugatus, sive solutus cum uxore carnaliter commiscetur

Z 2

que